

**UZUPEŁNIENIA**  
**DO TEKSTÓW ŹRÓDŁOWYCH,**  
**OPUBLIKOWANYCH W *VOLUMINA CONSTITUTIONUM*,**  
**tom I: 1493-1549, volumen 1: 1493-1526**

*Liczby rzymskie stanowią odniesienie do numeracji sejmów w wydawnictwie  
Volumina Constitutionum.*

**II**  
**SEJM PIOTRKOWSKI 1496 R.**

*Do aktów prawnych, powstały na tym sejmie, nie znanych edycji Volumina Legum, zaliczyć należy  
dwa uniwersaly podatkowe, mianowicie:*

Statutum exactionum personalium, z 2 maja 1496 r.<sup>1</sup> oraz Exactio 4 grossorum, z 16 maja 1496 r.<sup>2</sup>

**STATUTUM EXACTIONUM PERSONALIUM**

Iohannes Albertus Dei gratia rex Poloniae supremus dux Lithwaniae, Russiae Prussiaeque dominus et heres. Universis et singulis praelatis, spiritualibus et saecularibus, palatinis, castellanis, capitaneis, burgrabiis, terrigenis, proconsulibus, consulibus, advocatis, scultetis, terrarum, civitatum, oppidorum, villarum aliorumque locorum communitatibus, incolis, tabernatoribus ac cuiuslibet status hominibus, in regno nostro ubilibet existentibus, ad quos praesentes pervenerint, sincere devote et fidelibus dilectis, favorem et gratiam. Reverendissimi et reverendi in Christo patres, domini ac magnifici generosi nobiles famosi circumspecti et providi, sincere devote et fideles dilecti! In praesenti generali conventu, dum cum universis praelatis, baronibus et terrarum nuntiis pensitaremus super reipublicae statu eiusdemque eventu, extunc revolutis hiis, que omni ex parte vel incumbunt vel imminent nobis, queque vos non latent universos, eo tandem communi consensu ventum est, ut pro libertate et fide ac summo reipublicae periculo salvandis, pro quibus pendebat et pendet nunc omnis deliberatio, nos ipsos absque ullo personarum status et sexus utriusque induito commodemus; quapropter ad relevandum reipublicae statum, iam fere in praeципium ruentem, decretum est, ut exactiones personales atque locales infrascriptas quelibet persona, cuiuscumque status, dignitatis, gradus, ordinis, praeeminentiae et condicione existat, regnum inhabitans nostrum, hac vice duntaxat exsolvat ordine infrascripto.

In primis, de qualibet villa una marca pecuniarum currentium in regno pro una vice exigatur. Item in villis ab uno qualibet capite humano vivente grossus unus solvi debeat, personis dominorum locorum marcam a villa solventium exclusis, sed uxores pueri et familia ipsorum utriusque sexus et cuiuslibet aetatis a personis per grossum unum solvere teneantur. Item in civitatibus et oppidis exactio per duos grossos a marca secundum consuetudinem antiquam solvenda exigenda erit, prout solvi et exigi debeat, et insuper ab uxore pueris et familia per grossum unum a capite qualibet exigatur; ille tamen vel illa, qui exactionem civilem duorum videlicet grossorum solvet a suo capite, grossum dare non teneatur. Praeterea in eisdem

<sup>1</sup> Tekst ten zachował się w MK, t. 17, k. 153 v. Drukierem wydany został przez A. Lewickiego w Codex epistolaris saeculi decimi quinti, t. III, Kraków 1894, nr 415, s. 427-429. Dla niniejszego wydawnictwa akt skopiowany został przez Irenę Dwornicką i skolacjonowany z udziałem prof. Romana Zawadzkiego z mikrofilmem AGAD, nr 631.

<sup>2</sup> Tekst ten zachował się w MK, t. 17, k. 131 v. Drukierem wydany został przez A. Lewickiego, op. cit., t. III, nr 417, s. 433, 434. Dla niniejszego wydawnictwa został skopiowany przez I. Dwornicką i skolacjonowany z udziałem R. Zawadzkiego z mikrofilmem AGAD, nr 631.

civitatibus et oppidis a qualibet persona non habente aliquid, a quo exactionaret, atque ad exactoris solutionem non pertinente, de consuetudine et ut hii interrogantur esse servi, laboratores, socii artificiorum, medici, clerici, begvide, mixtaci et reliqui vagi absque officiis domiciliis et servitiis viventes, per unum grossum pro una vice contribuent. Mulieres tamen prostitutae grossum septimanatim solvant.

Item de Iudeis quilibet hospes a suo capite florenum, ab uxore vero et aliis personis, videlicet pueris et familiaribus, quotquot habet, per duodecim grossos a singulis capitibus exsolvat.

Item molendinatores braseorum in civitatibus exactionem solvent iuxta consuetudinem et taxam antiquam et personalem, sic ut supra de civibus scribitur.

Item de molendinis in civitatibus, oppidis et villis existentibus, quae domini locorum possident et fiunt molendinatores manuales, tum modo per unum grossum persone in illis existentes solvent.

Item in molendinis, quae *valny* dicuntur, a rota per unum fertonem solvent et personalem exactionem, sic ut supra, excluso solo ipso hospite fertonem solvente. Item molendina villarum aquatica personalem tantum solvant exactionem.

Item molendinatores ventiles per sex grossos et personalem sic ut supra exactionem solvent.

Item molendina *corzeczny* in oppidis a rota per sex grossos et personalem solvent exactionem sicut supra.

Item *folusch* unum fertonem pro exactione solvat et personalem sicut supra.

Item sarræ a rota fertonem unum et personalem sic ut supra. Item molendina ferrum seu instrumenta ferrea cudentia a qualibet saxo per fertonem et personalem sic ut supra.

Item mineratores a qualibet minera per unam marcā et personalem sicut supra. Item in zuppis officiales maiores per unam marcā, officiales minores per medium marcā, officiales infimi per duodecim grossos et a personis sicut supra, sic videlicet, si uxores pueros et familiam habuerint, ab illis personalem contribuant solutionem.

Item in fodinis montium siccorum cuiuslibet metalli et colorum minerarum atque in lapidicinis, domi montium alias *gwarkowe* exactionem solvant et singulariter a personis tributum dent.

Item Valachi a qualibet centenario ovium medium florenum et a personis ut supra.

Item feneratores et usurarii, qui per usuram lucrantur et census percipiunt, que luca et census interrogantur ultra summam capitalem, percepta atque percepti medietatem lucrorum et censum huiusmodi ad communem reipublicae salutem contribuant.

Item familiares dominorum et nobilium utriusque sexus et cuiuscunque aetatis per unum grossum; sed si marcā seu marcas a villis exsolvent, extunc a personis propriis tributum personale non solvent, quod tamen ipsorum uxores pueri et famuli solvent.

Item pauperes terrigenae de villis, quas invicem possident, unam marcā solvant, quotquot in una villa essent, et specialiter a personis ut supra.

Item sculteti et advocati in villis per unum fertonem et specialiter a personis ut supra. Item in civitatibus et oppidis advocati per unam marcā, et specialiter a personis ut supra.

Eas autem exactiones, de consilio quo supra, decernimus et statutimus de civitatibus, villis, oppidis, locis et personis spiritualibus et saecularibus solvendas, nullis locis atque personis exceptis, nostris etiam regalibus bonis inclusis. Ad quas quidem exactiones colligendas specialiter consiliarios nostros, et specialiter exactores terrarum spirituales seu terrestres<sup>a</sup> tanquam terris ipsis omnibus generales, specialem vero exactorem in terra videlicet<sup>b</sup> consilio quo supra mediante deputavimus et deputamus. Quocirca vobis supradictis spiritualibus et saecularibus subditis nostris ubilibet in regno nostro constitutis, de quibus fit sermo in praemissis, mandamus districtius, ut exactiones praedictas de terra<sup>c</sup> in manibus praedicti<sup>d</sup> per ipsum requisiti, solvere teneamini integre hinc ad medium quadragesimae. Vos vero exactores generales terrarum Maioris Poloniae, sicut in aliis terris Maioris Poloniae facturi estis, sic etiam in ipsa terra<sup>e</sup> exactiones praedictas ab ipso<sup>f</sup> tollere debeatis, rationem ab eo sufficientem

<sup>a</sup> *Pozostawiono okienko.* <sup>b</sup> *Pozostawiono okienko.* <sup>c</sup> *Pozostawiono okienko.* <sup>d</sup> *Pozostawiono okienko.* <sup>e</sup> *Pozostawiono okienko.* <sup>f</sup> *Pozostawiono okienko.*

recepturi et quietaturi eundem de perceptis, de quibus tu ipse<sup>g</sup> illis respondere debeas, existens requisitus. Quicquid demum collegeritis vos palatini et castellani, in manus magnifici Petri de Corozwianki castellani Sandomiriensis et thesaurarii regni nostri sincere dilecti porrigatis, quietantias ab eo recepturi. Et ut praesens statutum ad omnium, quorum interest, notitiam deveniat celerius, mandamus, quatenus vos locorum capitanei mox praesentibus visis in locis civitatum et oppidorum proclamari mandetis omnibus subditis nostris supradictis, ut exactiones ipsas hinc ad<sup>h</sup> terminum suprascriptum exsolvant; et qui solutionem interim impendere neglexerint, illos per impignorationes post medium quadragesimae fiendas et in talibus consuetas fieri, ad solutionem ad partitionemque praesentium decreti et statuti communis compellatis, aliter non faciendo pro gratia nostra. Datum in conventione Piotrkoviensis generali etc. [2 V 1496]<sup>i</sup>

Dominus rex per se

#### EXACTIO 4 GROSSORUM

Johannes Albertus Dei gratia rex Poloniae, supremus dux Lithuaniae, Russiae Prussiaeque dominus et heres etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, terrigenis nec non civitatum, oppidorum tam nostrorum quam spiritualium et saecularium personarum, magistris civium et consulibus atque scultetis, advocatis, mineratoribus, molendarioribus, tabernatoribus perpetuis et manualibus, agricultoribus kmethonibus liberis, poponibus Ruthenicis, Valachis, gregum omnium pastoribus, hereditariis, omnibusque aliis et singulis subditis nostris in terra Lanciciensi et districtibus eiusdem ubilibet consistentibus, praesentibus requirentibus sinceris et fidelibus dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles, famosi et providi, sincere et fideles nostri dilecti. Invalescentibus contra nos et regnum nostrum gravissimis insidiis tam ab immanissimo Thurcorum imperatore, cum quo treugae per triennium confectae iam propediem expirabunt, quam a Thartaris et aliis hostibus nostris dominia regni nostri non solum depopulantibus, verum etiam occupare volentibus, cupientesque recolligere vires et subsidia quibus hostium eorundem molimina reprimamus, de consilio et consensu unanimi omnium et singulorum praelatorum, baronum et nuntiorum terrestrium regni eiusdem nostri nobiscum in novissimae conventione Pyoth[r]kouiensi generali consultantium exactionem quattuor grossorum anno nunc currente quae pro festo Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae proxime venturo solvi debet, quam tandem post festum praedictum pignoratio immediate sequitur, per vos et alias regni nostri incolas sub articulis infrascriptis dandam et solvendam statuimus et laudavimus decernentes:

In primis, quod kmethones de quolibet laneo agri sive manso per eos culto et liberi atque de tabernis hereditariis per quattuor grossos, de tabernis manualibus per duos grossos dare debebunt. Item de molendinis molendarioris hereditariis a qualibet rota per quattuor grossos, de manualibus vero et ventilibus a qualibet rota per duos grossos. Item de mineris a qualibet rota per quattuor grossos dare et solvere tenebuntur. Ad quam quidem exactionem in praedicta terra eo modo, quo supra descriptum est, exigendam generosum Jacobum Glandzyanowsky, gladiferum Lanciciensem, constituimus et in exactorem deputamus dantes et concedentes ei plenariam facultatem exactionem ipsam a vobis repetendi, colligendi et exigendi, post eiusque solutionem quemlibet vestrum nomine et sigillo suis quietandi. Vobis vero capitaneis, tenutariis, burgrabis ceterisque dignitariis et officialibus nostris suprascriptis omnes et singulos indigenas et incolas terrae praedictae cuiuscumque status et condicionis fuerint, laudo et statuto praedicto contravenientes et quoslibet alios in solutione exactionis praedictae remissos negligentes et rebelles, vigore et nomine nostris castigandi et corripiendi ad solutionem, que pro festo Assumptionis Beatae Virginis Mariae faciendi, stringendi et compellendi, post illam statim pignorandi et puniendi. Quocirca laudum praemissum tanto citius exequi cupientes quanto ad id reipublicae necessitate compellimur praegnatiore vobis omnibus et singulis terrae praedictae

<sup>g</sup> Pozostawiono okienko. <sup>h</sup> W rękopisie et. <sup>i</sup> Data według A. Lewickiego.

Lanciensis, incolis civitatum et oppidorum comunitatibus et quibuslibet aliis exactionem ipsam debentibus mandamus districtissime praecipientes, quatenus post proclamationem super eiusdem exactionis solutione per officiales nostros fiendam, exactionem ipsam in manus dicti Jacobi Glandzjanowski exactoris nostris, detis solvatis et contribuatis in effectum, quietantias ab eo necessarias recepturi. Vobis vero capitaneis nostris et aliis officialibus terrae eiusdem mandamus quatenus mox praesentibus visis exactionem praedictam in civitatibus et oppidis terrae eiusdem diebus fori proclamare et publicare faciatis omnesque et singulos subditos et incolas superius descriptos ad solutionem eiusdem compellatis et astringatis, pignorationem contra eos statim post festum suprascriptum Assumptionis Gloriosissimae Virginis Mariae praesecuturi, sub obtentu gratiae nostrae aliter nullatenus facere praesumentes. Datum Cracouiae feria secunda in crastino festi sanctae Zophiae anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo sexto, Regni vero nostri quarto [16 V 1496].

Ad mandatum Maiestatis Regiae.

V  
SEJM PIOTRKOWSKI 1501 R.

*Po sejmie, który zakończył się w pierwszych dniach marca 1501 r., wydane zostały na jego podstawie w maju tegoż roku następujące wici:*

- A. Litterae restium, z 1 maja 1501 r.<sup>1</sup>
- B. Pro restibus ad palatinum Cracoviensem, Sandomiriensem, Russiae, z 1 maja 1501 r.<sup>2</sup>
- C. [Litterae] restium ad capitaneos, z 1 maja 1501 r.<sup>3</sup>
- D. Litterae secundarum restium in Thorun, z 31 maja 1501 r.<sup>4</sup>

**A. <sup>a-a</sup>LITTERAE RESTIUM<sup>-a</sup>**

Johannes Albertus Dei gratia rex Poloniae etc. Universis et singulis palatinis, castellanis, capitaneis, tenutariis, burgrabiis, terrigenis, nobilibus, advocatis, scultetis, ceterisque subditis nostris tam spiritualibus quam saecularibus de iure vel consuetudine antiqua ad expeditionem bellicam obligatis per et infra regnum nostrum et praesertim terram etc. et districtum eiusdem ubilibet consistentibus, praesentibus requirentes sincere et fidelibus nostris dilectis gratiam nostram regiam. Magnifici, generosi, nobiles et famosi<sup>b</sup> providique, sincere et fideles nostri dilecti! Nuper conventione generali Pyothrkouensi celebrata consilio nostrorum consiliariorum per universum regnum primas restium litteras nostras emissimus, ut quilibet servientium, bellum servire obligatus, ad omnem defensionis regni universitatem tempestive se adaptare posset. Cum vero iterum variis rumoribus tum item exploratorum admonitionibus<sup>c</sup> praemonemur, ut omnino ab hostibus, qui se assidue parant et tantum[modo] pabulandorum equorum commoditatem expectant, caveamus vos iterum omnes et quemlibet vestrum servitium bellicum servire debentem avisare decrevimus, praesentibus avisamusque, severius mandamus sub vitae et bonorum amissione, quatenus per Magnificum etc. admoniti ad tempus et locum, quem vobis litteris suis assignaverit vos, conseratis omni mora postposita et transeatis defensioni

<sup>a-a</sup> W rkps. Restium litterae. <sup>b</sup> W rkps. ffamosi. <sup>c</sup> Wyraz poprawiany.

<sup>1</sup> Tekst ten zachował się w MK, t. 19, k. 41 v. Skopiowany został przez I. Dwornicką, skolacjonowany z udziałem R. Zawadzkiego z mikrofilmem AGAD, nr 632.

<sup>2</sup> Tekst ten zachował się w MK, t. 19, k. 42 v. Skopiowany i skolacjonowany został, jak powyższy, z mikrofilmem AGAD, nr 632.

<sup>3</sup> Tekst ten zachował się w MK, t. 19, k. 42 v. Skopiowany i skolacjonowany został, jak i powyższe, z mikrofilmem AGAD, nr 632.

<sup>4</sup> Tekst ten zachował się w MK, t. 19, k. 47 v. Skopiowany i skolacjonowany jak wyżej, mikrofilm AGAD, nr 632.